

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1931

**Auteur(s) :** Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Longueville-sur-Scie, Sainte-Foy (prieuré)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1202, 28 janvier

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation générale des biens du prieuré par Rotrou, archevêque de Rouen (1177) (Vidimus de l'archevêque Gautier de Coutances, daté de Rouen le 28 janvier 1202 n. st.).

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Le Cacheux Paul, *Chartes du prieuré de Longueville, de l'ordre de Cluny, au diocèse de Rouen, antérieures à 1204*, Rouen-Paris, Société de l'histoire de la Normandie, 1934, n° XIX, p. 19-23.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit Walterus dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, salutem in domino. Ad universitatis vestre noticiam volumus pervenire nos inspexisse cartas venerabilium antecessorum nostrorum pie memorie Hugonis et Rotrodi quandam archiepiscoporum Rothomagensium, quas dilecti in Christo filii nostri Henricus prior Sancte Fidis de Longavilla et monachi ibidem deo servientes ex eisdem habere dinoscuntur in hec verba :

Rotodus, dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, dilecto filio suo Henrico, priori Sancte Fidis de Longavilla et fratribus in eodem loco secundum regulam sancti Benedicti domino servientibus salutem, gratiam et benedictionem. Pie postulatio voluntatis devote supplicationis assequi meretur assensum quatinus et benivola largitoris enitescat liberalitas et postulantium usquequaque fulciatur et suppleatur necessitas. Nos igitur antiquorum ac venerabilium patrum pia sequentes vestigia, dum commissorum nobis filiorum necessitatibus consulimus, ipsos et quecumque ad eos pertinent sub nostra protectione suscipimus. Inde est, dilecti in domino filii, quod vestris justis postulacionibus clementer annuimus et pie memorie donni Hugonis decessoris nostri decretum vobis ab eo collatum omnimodis approbantes ut vim inconcussam in perpetuum et absque retractatione retineat indubitanter decrevimus et juxta quod in ipso ascriptum est vos et locum vestrum cum bonis omnibus que in presentiarum juste et canonice possidetis aut in futurum modis rationabilibus prestante domino poteritis adipisci sub sancte Rothomagensis ecclesie et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. Inter que hec propriis nominibus duximus exprimenda: Ecclesiam Sancte Fidis de Longavilla ; Ecclesiam Sancti Petri de eadem villa, cum pertinentiis suis ; Ecclesiam Sancte Fidis de Bosco cum pertinentiis suis ; Ecclesiam Sancti Petri de Bosco Wielini cum pertinentiis suis ; Ecclesiam Sancti Audoeni de Wulfranvilla cum pertinentiis suis ; Ecclesiam Sancti Petri de Alpicardo cum pertinentiis suis ; Capellam Sancti Georgii de Colemaisnillo cum pertinentiis suis ; Sanctum Medardum de Belnaio cum pertinentiis suis ; Sanctam Genovefam cum pertinentiis suis ; Sanctum Egidium de Ouvilla cum pertinentiis suis ; Sanctam Mariam de Herbervilla cum pertinentiis suis ; Sanctum Vedastum de Oschevilla cum pertinentiis suis ; Sanctum Martinum de Angiens cum pertinentiis suis ; Sanctum Albinum de Novavilla cum pertinentiis suis ; Sanctam Mariam de Anscheterville cum pertinentiis suis ; Sanctum

Nicholaum de Lodoro cum pertinentiis suis ; Sanctum Mauritium de Parvavilla cum pertinentiis suis ; Sanctum Germanum de Magna ecclesia cum pertinentiis suis ; Sanctam Mariam de Croseio cum pertinentiis suis ; Sanctum Petrum de Valle cum pertinentiis suis ; Sanctam Mariam de Bellomonte cum pertinentiis suis ; Ecclesiam de Cantilupo cum pertinentiis suis ; Ecclesiam Sancti Johannis de Bosco Rohardi cum pertinentiis suis ; Sanctum Martinum de Parva preta cum pertinentiis suis ; Ecclesiam Sancti Jovini supra mare cum pertinentiis suis cunctis, quam concesserunt ecclesie Sancte Fidi Radulfus de Trublevilla et Aales uxor sua ; Sanctum Remigium de Bosco Aliherimontis ; Hospitale pauperum infra Longavillam a Walterio Giffardo comite constructum cum pertinentiis suis ; Decimam rusticorum de Hotot ; Decimam de terra Gocelini de Crioil apud Sanctum Crispinum ; Decimam de Spineto de feodo Walterii Giffardi ; Decimam de Gorrel de terris Antelmi et Willelmi Caletensis ; Decimam de terra Gilleberti de Hotot in Hermodivilla ; in Sancto Audoeno super Elnam decimam ejusdem Gilleberti et Antelmi de Ritbod ; apud Ghebervillam decimam de feodo Walterii de Cantilupo ; Decimam de terris vavassorum et rusticorum Helye Haket apud Tiliun et apud Dodelini villam ; hospitali ecclesiam de Waudrevilla. Paci etiam et quieti vestre in posterum providentes et perversorum hominum calumpnias a vobis omnimodis removentes, concedimus vobis ut ecclesiarum vestrarum omnium liberas presentationes habeatis et rerum omnium vestrarum sive terrarum sive elemosinarum vel etiam decimarum canonice disponendarum liberam facultatem in perpetuum possideatis, salvo in omnibus jure pontificali et parrochiali. Cunctis igitur prefato loco vestro sua servantibus et bona facientibus sit pax domini nostri Jesu Christi. Si quis autem personas vestras vel bona vel possessiones perturbare vel aliquibus molestiis fatigare aut etiam quibuslibet machinamentis adimere presumpserit, indignationem dei omnipotentis se noverit incursum et nos illum excommunicationi subiacere judicamus donec temeritatem [suam] satisfactione congrua emendaverit. Actum est hoc anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> LXXVII, sub Alexandro papa III<sup>o</sup>, regnante in Francia rege Ludovico, principante in Normannia Henrico rege secundo. Testes sunt donnus Robertus archidiaconus et decanus Rothomagensis ecclesie, Amicus archidiaconus, magister Rogerius, Robertus capellanus, Gaufridus de Thoenio, Rogerius de Warvuic.

Nos igitur hec omnia supradicta rata et firma habentes et volentes perpetua firmitate gaudere, presenti scripto et sigilli nostri munimine duximus corroboranda. Testibus Ricardo, decano Rothomagensi, magistro Roberto Balbo, Drogone de Trublevilla, Ricardo Hayr[on] canonicis Rothomagensibus, magistro Johanne Britone, Thoma Britone, Radulfo de Sancto Machuto, Laurentio, clericis et multis aliis. Datum per manum Roberti de Sancto Nicholao, capellani nostri, anno incarnationis dominice M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> primo, apud Rothomagum, quinto kalendas februarii.